TENTAMEN PHYSICO-MEDICUM

INAUGURALE,

DE

GENERE MUCOSO, &c.

AUCTORE DAVIDE SCOTT.

PROŒMIUM.

NOMEN *genus* ordini rerum magis involuto quam is, cui in hoc tentamine vocabulum *mucosum* applicamus, plerumque datur. Sed in sermone saepe prodest duas vel plures res uno verbo exprimere; hocque tentamine scribendo illud verbum aptissimum consilio nostro videbatur quod reperire potuerimus. Eodem utimur sensu, quo systemate absorbente, systemate sanguineo, genere nervoso.

Fuse tractasse quodcunque ad genus mucosum pertinet, librum illo graviorem, quem nunc lectori subjicimus, desiderasset; sed limites, hujusmodi tentaminibus praescripti, cogitationes nostras arctum intra spatium necessario cohibuerunt. Tantum nobis licuit, primo quasdam observationes de partibus e

quibus genus mucosum componitur, contractiores facere; dehinc, ad perturbationem cui hoc genus in morbis est obnoxium, animadvertere.

PARS PRIMA.

DE SINGULIS PARTIBUS E QUIBUS GENUS MUCOSUM COMPONITUR.

Partes generis mucosi sunt mucus, glandulae mucosae, et membranae mucosae, intra corpus; rete mucosum, cuticula, pili, et ungues, extra corpus.

SECTIO PRIMA.

DE PARTIBUS GENERIS MUCOSI INTRA CORPUS.

CAPUT PRIMUM.

De Muco.

Omnes observationes, quas de muco facturi sumus ad veram muci naturam spectant, praecipuas res factas chemicas et mechanicas de muco cognitas, differentiam muci et puris, morbos muci, usus muci.

De Vera Muci Natura.

In chemia vocabulum *Mucus* diu vagum fuit et incertum. Hanc confusionem tandem correxerunt Fourcroy et Vauquelin, in accurato commentario de Muco animali *; et Doctor Bostock, in disquisitione pretiosa de humoribus animalibus †. A horum chemistarum laboribus, vocabulum mucus ad principium, quod ‡ in humore, a physiologis et medicis vulgo ita dicto, reperitur; in lachrymis quoque et saliva; in cartilagine, in squamis, et conchis; in lana, pilis, plumis et cornibus, restringere idoneum est judicatum.

Substantia mucus vocata, mucilaginem a quibusdam arboribus paratam maxime refert. Haec in aqua facile solvitur. Mucus autem animalis, praecipue si per aliquod tem-

* Annales du Mus. Vol. XII. p. 61.

† Edinburgh Medical and Surgical Journal, Vol. I. p. 257.

‡ Dr Pearson ait, contra quod expectaretur, "nullum mucum strictius dictum in materia expectorata reperisse." Phil. Trans. 1809.

pus in ductibus steterit, seu in membrana mucosa; in aqua vix potest solvi; causamque hujus differentiae in rebus tam similibus, chemia nondum detegere valuit *.

Mucus, ad humorem denotandum, qui canalibus et cavis corporis, praecipue naso, exudat; vulgo adhibitus; procul dubio e variis constat partibus. Humor tamen nasi solus diligenter fuit examinatus, et partes, quas continet, sunt aqua, mucus recte ita dictus, materiae salinae, praecipue murias sodae et carbonas sodae, phosphas sodae et phosphas calcis †. Aqua vaporando aufertur, dum aliae partes relinquuntur.

Partes fere eaedem in lacrimis continentur, et, ni fallor, etiam in lympha, sive eo humore, qui a superficie cavorum canaliumque exudat; et revera mucus est, priusquam fuerit duratus. Quo plus hi humores indagantur, eo plus, nostra sententia, easdem partes, quantitatibus plus minusve variatis, continere invenientur.

* Thom. Chem. Vol. V.

† Vid. Murray's Chemistry, Vol. IV.

Intima muci natura adhuc est ignota; e connubio oxygenium inter et hydrogenium carboniumque et nitrogenium constat; sed ratio horum inter se haud fuit stabilita. Hac innititur sine dubio muci animaliumque rerum differentia, sed cautis tantum, atque repetitis experimentis, haec est invenienda. Ad talem eventum subito pervenire haud possumus, quia mucus ad experimenta satis purus satisque largus paratu est difficilis *.

De Rebus factis praecipuis, Chemicis et Mechanicis, de Muco cognitis.

Mucus secernitur tenuis, sed postea evadit crassus, deinde viscidus, et tandem concretus. Has dotes mutuatur, non solum ab aqua ei haerente sublata, sed etiam ab oxygenio, plus minusve ab aëre resorpto. Aër, tum multis cavis viisque e corpore egredien-

* Vid. Annales du Mus. ut supra.

tibus, tum corporis superficie; liberum ad eum habet accessum. Hinc cernitur causa, cur mucus nasi, bronchiarum et recti; illo intestinorum aliorum, partiumque corporis internarum, crassior sit viscidiorque. Hinc homini etiam quodammodo cuticulae et unguium duritia; aliisque animalibus, pariter ac cuticulae, ea squamarum, concharumque.

Mucus recenter secretus in aqua solutu est facilis. Cum autem ab aëre spissatus, sive arefactus fuerit; cum aqua sive frigida sive calida, vix aut ne vix quidem sociari potest. In aqua frigida nullam patitur mutationem, sed in aqua calida, albus fit, tenax, et filis instructus.

Quanquam mucus in alcohole aut aethere non est solvendus; solvitur tamen omnibus in acidis, etiam multum dilutis; praesertim acido muriatico.

Acida omnia spissant, praecipue acidum oxymuriaticum. In ore, faucibus, et ventriculo saltem, si non in reliqua parte canalis alimentarii; demittuntur albi flocci muci,

acidis potibus sumptis. Eadem res facta potest observari in urina animalium in gramine pascentium *.

Neque a tannina praecipitatur, sicut gelatina, neque a hydrargyri oxymuriate sicut albumen; acetas autem plumbi solutionibus ejus instillatum, demittit copiosum et album. Superacetas plumbi effectum multo minus insignem edit †.

Solutionibus, sive calidis sive frigidis, nitratis potassae, sulphatis potassae, sive muriatis sodae, immissus; secundum Fordyce ‡, non solvitur; et si tritus fuerit, sive divisus; imum petit.

Cum oleo extra corpus haud miscetur, quanquam forsan misceatur cum eo intra corpus ||; neque cum sapone in aqua soluto, neque cum gummi arabico.

* Vid. Annales du Mus. ut supra.

† Thoms. Chem. Vol. V. Edinburgh Medical and Surgical Journal, ut supra.

‡ Vid. Thesaur. Med. Vol. II.

|| Audi Lectures on the Institutions of Medicine.

Calefactus expanditur, sed non in coagulum ruit sicut albumen. A calore longius ursus, cornu imitatur; sed frigefactus in massam pulposam, velut gelatina, haud convertitur. In comburendo multum edit fumum, et ammoniam redolet et oleum empyreumaticum. A vi caloris distillatus, eosdem eventus ac substantiae animales, communes praebet et foetidas.

Putredinem haud facile subit, sed rebus faventibus tandem putrescit, et eadem phaenomena quae corpora putrida ostendit.

Quum primum secernitur, decoloratus videtur, sed postea, valetudine salva, varios potest ducere colores. Hi forsan a corporibus alienis mistis oriantur.

Gravitas ea aquae major est, quanquam mucus nasi et bronchiarum, pure haud misto, super aquam plerumque natat. Sed haec res bullis aëriis intermistis debetur. Exsiccando quartam partem gravitatis perdit.

Si tensus fuerit, pristinum haud recuperat statum; si penitus exsiccatus, squamo-

sus apparet et nitidus; si non vitiatus, nullum habet saporem, nullum odorem, et sese ultra modum blandum.

De differentia Muci et Puris.

Mucus et pus se invicem referre putantur. Certe ab iisdem partibus saepe proveniunt, et in morbis ea inter accurate distinguere potuissent medici et chirurgi.

Pus aquae immissum fundum vasis petit; mucus super aquam saepe natat. Pus in aqua facilius diffunditur, quam perturbat; mucus potius concrescit, et aquae conditio non mutatur. E globulis in quodam humore natantibus constat pus; e floccis sine ullo humore mucus *. Pus a superficie ulcerata venit; mucus a superficie sana, aut inflammata. Humor in quo globuli puris natant in muriate ammoniae soluto coagulat; quae res

* Vide Home's Dissertation on the properties of Pus.

nulli alii humori animali contingat. Mucus ab acido sulphurico facilius solvitur, et si muco aut puri ita soluto aqua fuerit addita, pus demittitur, mucus modo floccorum suspenditur. Solutio potassae et pus et mucum solvat; sed aqua addita, pus, non mucus, separatur.

Hae sunt praecipuae notae, sed non semper fidendae. In phthisi pulmonali, e. g. in qua maximi momenti existimantur; et Culleno et Gregorio judicibus, signis pathognomonicis, quam ullis mucum inter et pus distinctionibus, certius cognoscitur morbus †.

De Morbis Muci.

Mucus quasdam morbosas subit mutationes, quoad exiguitatem et augmentum,

* Vide Cooper's Dictionary of Practical Surgery, article *Suppuration.*

† Vide Cullen's First Lines, of Phthisis Pulmonalis: audi etiam Lectures on the Practice of Physic.

acrimoniam et pravitatem, colorem et crassitudinem.

Mucus canalium cavornmque corporis, vulgo intellectus, febribus, phlegmasiis, aut spasmis accedentibus, semper deficit. Cum membrana mucosa tumescat et inflammetur, aut cum fibrae alicujus partis musculosae cum eo connexae, spasmo afficiantur, aut febris ingruat; minus muci secernitur, ejusque secreti minus ejicitur.

E contrario, mucus semper excedit, paroxysmo februm, phlegmasiis, aut spasmis decedentibus. Membrana mucosa relaxata, sive tensis fibris musculosis partium vicinarum remissis, et debilitatis; sive membranis mucosis irritatis; certe augetur secretio, et saepissime excretio.

Ratio acrimoniae muci in morbis est reddenda, a retentione in mucosis folliculis, in ductibus, aut in membrana, nimis longa; a mistura cum rebus extraneis, in adversa valetudine, praesentibus; a quodam processu chemico, unde dotes mutantur, progrediente;

aut a justa proportione elementorum perdita, aut a secretione vitiata.

Mucus etiam interdum depravatur, sed quomodo, difficillima est dictu. Num idem ac mucus acris dubitari potest. Mucus depravatus, eum quem acrem vocamus, et aliquod praeterea, comprehendere potest. Mucus acris corpora corrodit; nonne autem potest esse mucus, qui depravatus est, et non acris; is scilicet qui ad putredinem tendit, aut quandam continet materiam a morbis generatam?

Color muci in morbis magnopere variat. Videndus est subviridis, subcoeruleus, pallidus, albus, glaucus, fuscus, subflavus. Una cum his coloris mutationibus, saepe est mutatio crassitudinis. Imprimis a naso, ano, urethra, saepissime solito crassior est *.

Haec coloris et crassitudinis mutatio absorptioni oxygenii, ut jam notatum, est at-

* Vid. Hygrologiam Corporis Humani a Plenk.

tribuenda; misturae rerum alienarum, praecipue sanguinis et bilis; aut secretioni vitiatae. Sic quum actio glandularum mucosarum, sive vasorum exhalantium, vitiata fuerit, pus aut aliquod puri simile interdum secernitur.

De usibus Muci.

Usus muci sunt varii, et quidam ex his notatu dignissimi.

Imprimis nutriendo inservit. Cuticula, pili, et ungues hominum ab eo quodammodo proveniunt; et aliorum animalium lana, plumae, cornua, conchae. Hoc est pabulum a quo haec praecipue aluntur; hic fons, unde rivus incrementi perpetuo suppeditatur *.

Saepius autem videtur materia excernenda. A sanguine semper est separandus, ut hic purus servetur. In corporis superficie

* Vid. Annales du Mus, ut supra.

rite effundendus, ut in cavis internis viisque e corpore exeuntibus ne accumuletur. Immo, quum secretio in his locis abundat; per os, anum, et urethram, subinde emittendus.

Hujus tamen quaedam portio ad cava viasque in quibus secernitur defendenda, prorsus est necessaria. Haec portio, sicut velamen, super ea semper diffunditur; obstatque, ne materiae solidae, et fluidae, et aëriae, quae per ea transeant, laedant irritentque. Ut hujus usus exemplum, quam optime tegat ab urinae acrimonia internam sensilissimamque superficiem urethrae et vesicae, tantum admoneamus. Ea sane est blanditia, ut partes ne quidem stimulet sensilissimas, trachea fortasse et vesiculis pulmonum aëreis exceptis.

Praeter partes super quas effunditur defendendas, has etiam lubricat. Per eum molles humidae et flexiles redduntur. Propter eum, materiae per omnem canalem et cavum corporis impellendae, facile transeunt. Ut alia omittamus exempla; propter eum,

quam transitus cibi expeditur per oesophagum, quam is foecum per intestina!

Canales cavaque e corpore exeuntia humectando, sensilitatem papillis nervosis super has partes aperientibus modicam conciliat. Hunc objiciamus effectum in naso, ventriculo, intestinis, vesica urinae; omnia quae bene suppeditantur nervis organa, ideoque sensilissima.

Quidam usus sunt adhuc magis speciales, exempli gratia; quasdam particulas, naso advectas, detinet olfaciendas; ne latera oesophagi et urethrae concrescant, cavet; ne superficies tracheae bronchiarumque, a motu aëris per ea perpetuo arescat, facit; in oculo mucus iridis coloratus, nigrum pigmentum dictus, anteriorem posterioremque superficiem obducens; etiamque pigmentum tunicae choroidae, sive mucus hujus superficiem obducens, aeque ac corporis ciliaris interiorem; radios lucis refringunt; rete mucosum, quod e muco quodammodo texitur; singulis hominibus et gentibus praebet colorem.

CAPUT SECUNDUM.

De Glandulis Mucosis.

Glandulae, a humore quem secernunt, inter sese fuerunt distinctae; sicut sebaceae, lachrymales, lymphaticae, salivales, biliosae, lacteales, &c. haecque distinctio agnoscitur, quum glandulas considerandas vocamus mucosas.

Glandulae mucosae minuta sunt corpora, ex arteria, vena, nervo, et vase lymphatico compositae, communi membrana obvolutae; ductuque excernente instructae; bronchiis, palato, ventriculo, et intestinis videndae; sed vesicula fellis, vesica urinae, vesiculis seminalibus, et utero, visum effugientes. A praesentia muci his organis, aeque ac illis jam dictis, existentiam colligimus *.

* Bichat Traite des Membranes, p. 32. Paris, 1802.

Glandulae mucosae folliculi mucosi saepe etiam vocantur, qui definiuntur, substantiae e cava membrana vasculosa, cum ductu excernente, constantes. Fortasse haud multum refert, an glandulas mucosas, an folliculos mucosos vocares; quanquam Ruyschii sectatores inter eosque Malpighii, an in corporibus folliculi sint, necne; vehementer certatum fuit.

Glandulae mucosae, sive phrasin *folliculos mucosos* malis; in strato telae cellulosae sub membrana mucosa jacente ponuntur, super quam ductus aperiunt. Ea ratione sitae sunt glandulae mucosae, quibus membrana narium mucosa instruitur; eâ glandulae faucium ad palatum, uvulam, tonsillas, laryngem, et pharyngem pertinentes; eâ glandudulae ventriculi, mucum tantùm secernentes, nonque succum gastricum, qui ab arteriis secernitur; eâ denique glandulae urethrae, quibus ora ductuum excernentium lacunae vocantur.

Glandulae mucosae mucum secernunt, quantitasque muci haud parva, praesertim a naso, faucibus, et bronchiis; ab his secernatur oportet. In junioribus senibusque abundat, vasis illorum laxis, horum debilibus. Omni aetate copia secreta variare potest, et in diversis hominibus, et in iisdem hominibus, diversis temporibus.

CAPUT TERTIUM.

De Membranis Mucosis.

Membranae mucosae tegumenta sunt mollia, et delicata, et spongiosa; modo tenuiora, modo densiora, nunc superficie aliquanto laevi, nunc villosa; nervis referta, vasisque sanguineis; et oribus folliculorum mucosorum perforata, quae mucum perpetuo fundunt, magnaque quantitate, quandocunque hae membranae irritantur.

Omnibus in viis cavisque e corpore exeuntibus; nimirum, in tubo Eustachiano, naso, faucibus, larynge, trachea, vesiculis pulmonum aëriis, oesophago, ventriculo, intestinis, vesica urinae, vesicula fellis, urethra, vesiculis seminalibus, vagina, utero reperiuntur.

Membrana Schneideriana, sive pituitaria, quae nares, sinusque obducit, membrana κατ' ἐξοχην vocata est mucosa; quippe quae sit sedes tam vulgatissimi morbi, quam catarrhus; ideoque sibi, caeteris exclusis, attentionem hominum traxerit.

Membranae mucosae cavis viisque e corpore egredientibus tegendis inserviunt, hisque a tritura et irritatione materiarum, in illis morantium, seu per illa transeuntium, cavendis; idoneoque receptaculo seu repositorio muci super illis effusi praebendo.

SECTIO SECUNDA.

DE PARTIBUS GENERIS MUCOSI IN SUPERFICIE CORPORIS, NEMPE RETI MUCOSO, CUTICULA, PILIS, ET UNGUIBUS.

Rete mucosum et cuticula continuatio membranarum mucosarum, eorumque appendiculae pili et ungues, existimari possunt. Nullum de origine retis mucosi potest esse dubium, tametsi physiologi de origine aliorum corporum discreparunt. Docent autem experimenta *Bostock* et *Fourcroy* et *Vauquelin*, mucum esse princeps elementum, quod illa corpora componit.

Rete mucosum cuticulam inter et cutem jacet. In labiis, ore, et super glandem penis, pellucidum est, et delicatissimum; in aliis partibus est densum, sed maxime in scroto. Diversus color generis humani, ut jam notavimus, hac a substantia quodammo-

do pendet. In Europaeis album est, in Aethiopibus nigrum.

Cuticula pellucida et insensilis membrana, tegens non solum superficiem corporis totam, sed etiam multas e partibus internis, ut nasum, os, anum, vaginam et urethram. Superficies externa est arida et cornea; interna humida et villosa. Super labia, linguam, glandem penis, vaginam et rectum; tenuissima est; sed in plantis pedum, palmisque manuum, densissima. Ubicunque pressurae multae subjiciatur, densari videtur.

Pili sunt fila tenuia, resilientia, arida, a cute provenientia. E bulbis sub cute in membrana cellulosa sitis oriuntur. Unusquisque duas capsulas habet bulbus, oleoso plenas humore, pilis dare colorem putato. Hic humor quoque elementum est lanae et plumarum, cornuum et squamarum.

Ungues corneae sunt laminae, apud apices digitorum manus et pedis sitae; cuticulaeque productio.

PARS SECUNDA.

DE PERTURBATIONE GENERIS MUCOSI QUIBUSDAM MORBIS.

Haec perturbatio canalibus et cavis e corpore egredientibus; aut superficiei externae, potest contingere.

SECTIO PRIMA.

DE PERTURBATIONE GENERIS MUCOSI IN CANALIBUS CAVISQUE E CORPORE EGREDIENTIBUS.

Tentaminis hac parte quaedam est difficultas recte ordinandi hos morbos, quibus genus mucosum perturbatur. Ordinem quem praetulimus objici posse, haud latet, et quosdam morbos summovere e loco videri, et titulis capitum quos dedimus, non respondere.

Hoc autem vitium quodcunque sit, huic quodammodo debetur, quod morbi, dum progrediuntur, aut formam mutant, aut eam tam compositam habent, ut capitibus methodi duobus conveniant.

CAPUT PRIMUM.

Hoc capite animum attendimus ad perturbationem generis mucosi canalium cavorumque in his morbis, quibus humores ad has partes fluunt, sed inflammatio sequitur levis aut nullus. Hi sunt rubeola, catarrhus contagiosus, catarrhus acutus, dyspnoea catarrhalis, et diarrhoea.

Rubeola.

In rubeola membrana nasi mucosa tumet et leviter inflammatur. Secretio muci paulisper interrumpitur, aut excretio saltem

praecavetur. Hoc in ductibus accumulato, aut a vasis sanguinem vehentibus nondum separato, sternutatio cietur; mucusque non longius cohibendus, large profluit, sive coriza generatur. Haec fortasse epiphorâ augetur.

Tussis quoque excitatur irritatione, quam mucus interruptus, seu profluens; bronchiarum tubis, aëriisque pulmonum vesiculis, impertit; copiaque majore tandem exscreatur.

Horum signorum haec ratio esse videtur. Rubeola a materia contagiosa originem ducit. Haec in corpus recepta, aut in membranam mucosam nasi, fistularumque pulmonum aëriarum, tracheaeque agit; aut ad has partes humorum fluxum efficit. Hinc signa catarrhi hoc morbo tam vulgata, et nonnunquam pneumonia.

Ut signa jam dicta subleventur, ad mitia diaphoretica confugiendum est, ad demulcentia, et cathartica refrigerantia, sanguinisque missionem, et sedantia, etc.

Catarrhus Contagiosus.

In catarrho contagioso, una cum febris signis, interdum adest tenuis et acris muci excretio a naribus; ravis etiam et tussis, cum muco tenui et acri a faucibus. Plerumque tamen mucus ab utrisque locis mitioris indolis majorisque spissitatis; isque a faucibus facilius exscreatur.

Ut in rubeola, materia contagiosa, in corpus recepta, in genus mucosum narium et faucium praecipue agere, humoresque ad has partes dirigi videntur. Morbus quidem in epistaxin interdum desinit, quanquam alias cursum solitum peragit, magna debilitate illata, anorexia, vis nervosae defectu, et morte ipsa.

Quia febris, quae hunc catarrhum comitatur, fere typhodes est; missio sanguinis male respondet, et non adhibendus, nisi signa pneumoniae minitentur. Emetica, pur-

gantia mitia, et potus refrigerantes aciduli, praeferenda. Opiatum vespere sumatur; et morbo decedente, cibi lauti, vinum etiam, et cinchona.

Catarrhus Acutus.

Catarrhus acutus cum febris signis plus minusve gravibus ingruit. Superficies corporis aliquanto arida est et calida; et viae cavaque cum hac communicantes similiter afficiuntur. Membrana mucosa nasi imprimis tumet, et nonnihil inflammatur; fereque etiam membrana tracheae bronchiarumque mucosa. Secretio muci, his omnibus locis, primo est exigua, et interrupta; ariditate nasi tensioque pectoris testantibus; deinde plenior, et expectoratio ejus liberior. Mucus secretus, prius est tenuis, postea crassus, et in quibusdam casibus aliquanto purulentus; et tandem naturalis.

Causa catarrhi acuti vulgatior est frigus. Ut corpus contrahatur, hoc efficit; hocque modo, ut videtur, halitus per cutem obstruitur. Ex secretione superficiei per vasa exhalantia diminuta; pariter ac quantitate sanguinis, super eam circumeuntis; hic humore secernendo onustus, centrumque corporis versus compulsus; in vasis ad membranas mucosas ducentibus, praecipue ad eas nasi et pulmonum, accumulatur; ideoque major secretio muci sequitur.

Catarrhus acutus potibus vulgo sanatur diluentibus, pediluvio etiam, sudorificis, seu emeticis; superficie corporis, vestitu fovente, tegenda; frigidoque aëre vitando. Pectus tensum, vapore aquae calidae inhalato, summoveatur; dolorque pectoris, cum adfuerit, vesicatorio. Si catarrhus sit gravior, et proclivitas ad pneumoniam suspiciatur; copia sanguinis idonea est abstrahenda.

Dyspnoea Catarrhalis.

In dyspnoea catarrhali, pectus potius impletur quam constringitur; et haec plenitudo respirationem impedit. Per totum morbi decursum tussis adest, et haec viscidum rejicit mucum; quem secretum et non rejectum, probabile est, dyspnoeam gignere.

In hoc morbo curando sudorifica, purgantia, et expectorantia prosunt. Cullenus morbum dicit esse, "to be cured by the same "remedies as that species of catarrh, which "depends rather on the increased afflux of "mucus to the bronchiae, than upon any "inflammatory state in them *.

Diarrhoea Mucosa.

In diarrhoea mucosa, ut fert nomen, excretio est muci per anum. Interdum de-

* Vid. Cullen's First Lines, of Dyspnoea.

mittitur materia, neque indurata, neque fluida; sed prope naturalis; tantùm solito frequentior. Intestina plane irritantur, et una cum sellis, interdum ejicitur materia albida, e muco constans et aqua; quanquam sellae purus mucus nonnunquam sunt, crassitudinis haud parvae, albique coloris, sputis sanguineis subinde interspersis. Hanc muci ejectionem comitantur tormina, tenesmus, debilitas, et languor.

Haec omnia mala ab excretione per cutem a frigore interrupta oriuntur. Hinc humores per cutem excernendi, ad intestina diriguntur. Excretio vicaria corpori animali haud infrequenter accidit; sed excretioni per cutem interruptae, ea per nares aut pulmones, quam per intestina, est saepius suffecta.

Ut tollatur morbus, emeticum dari potest, quod et ventriculum purgabit, cutemque solvet; deinde phosphas sodae aut rhabarbarum, ut intestina ab irritamentis liberentur. Cum responderit alvus, electuarium catechu aut opiatum administretur. His rebus mem-

branae sanitas mucosae glandulisque intestinorum plerumque restituetur; adque prophylaxin, aeger corpus vestitu foveat, cum foris exeat; calidoque potu uteretur, qui sudorem eliciat, cum dormitum eat.

His omnibus morbis jam tractatis, humores ad genus mucosum canalium cavorumque e corpore egredientium dirigi videntur, sed aut levis aut nulla sequi inflammatio *.

CAPUT SECUNDUM.

Genus mucosum canalium cavorumque, in morbis, gravi harum vicinarumve partium inflammatione stipatis, saepe perturbatur. Hujusmodi morbi sunt cynanche tonsillaris, scarlatina anginosa, cynanche maligna, cynanche trachealis, peripneumonia, phthisis pulmonalis, et gonorrhoea virulenta.

* Vid. Heberden Comment. cap. 24. De Destillatione.

Cynanche Tonsillaris.

In cynanche tonsillari membrana mucosa glandulaeque faucium afficiuntur. Ea congeries mucosorum folliculorum, quae tonsillas componit, praecipua est sedes morbi. Fere altera tonsilla tentatur prius, deinde altera, illa paulo sublevata. Inflammatio postea ad velum palati pendulum serpit, uvulamque, et tandem totam faucium membranam mucosam.

Signa inter alia, ariditas gutturis adest, et crebra difficilisque muci exscreatio. Haec ariditas et exscreatio difficilis manent, donec morbus decrescat. Fines usitatiores sunt resolutio aut suppuratio. Si in resolutionem desinit, praeter levem diaphoresin, diarrhoeamque modicam, copiosa exspuitio plerumque supervenit; si in suppurationem, ulcus cito sanatur, et redit partium valetudo.

Sanguis sine dubio ad has partes immodice fluit, hisque distensis et irritatis, inflammatio excitatur; haecque non prorsus summovebitur, donec libere secretus fuerit mucus.

In levioribus hujus morbi casibus vix ullum aliud remedium necessarium est, nisi evitatio frigoris unum vel alterum diem, pannus laneus faucibus circumdatus; aut oleum ammoniatum his infricandum. In gravioribus, ad inflammationem subigendam hirudines faucibus admoveantur, aut sanguis a brachio emittatur. Magnum quoque beneficium a vesicatoriis derivetur, sed mature usurpanda sunt, quoniam, si gravior fuerit morbus, in suppurationem properat.

Scarlatina Anginosa.

In scarlatina anginosa guttur male se habet. Morbo invadente, tonsillae et uvulae magnopere inflammantur, et nonnunquam

velum palati pendulum. Inflammationem autem cito excipiunt crustae fusci coloris, quae tegunt alias, ad gangrenam pronas serpentes, spiritumque corrumpentes.

Mucus secretus a naso et faucibus saepe acerrimus est, et in quamcunque partem incidit, ei pellem detrahit. Acrimonia ejus gravitati signorum reliquorum respondere videtur. Cum hic morbus Edinburgi anno 1811 praevaluit, mucus minus acris fuit, glandulaeque mucosae nasi et faucium minus tumidae, quam quo tempore illa urbe olim grassabatur *.

Perturbatio generis mucosi nasi et faucium hoc morbo sine dubio cum generali corporis aegrotatione jungitur; sed, nihilominus, materia contagiosa in genus mucosum harum partium praecipue agere videtur. Si sanguis ad has partes non copiose fluit, glandulae saltem actionem insolitam suscipiunt,

* Audi Prof. Duncani praelectiones clinicas. Anno 1811.

ut acris muci secretio docet; vicinaeque partes, crustis gutturis testantibus, magnopere inflammantur.

Secretione muci a naso et faucibus aucta, materia irritans summoveatur, actioque salutaris glandularum recuperetur. Ab acrimonia muci, donec naturali decessione morbi correcta fuerit, seu a remediis subjugata; partes sanae et morbosae a gargarismis defendantur.

Cynanche Maligna.

In cynanche maligna, sicut in duobus praeeuntibus morbis, est inflammatio membranae gutturis mucosae, modo mitissima, modo gravissima, et in gangraenam quam pronissima, ulceribus profundissimis existentibus, et foetidissimis.

Tali partium conditione mucus secretus est acerrimus, et, ut probabile est, ulcerationem gutturis magnopere diffundit; et de-

voratus canalem alimentarium sine dubio magnopere laedit.

Affectio generis mucosi hoc morbo eidem principio, cui in scarlatina anginosa debetur; et re vera medici maximi nominis, scarlatinam anginosam et cynanchen malignam species ejusdem morbi nunc affirmare incipiunt *. Signa hujus morbi prae illa graviora, eodem modo, quo signa variolae confluentis cum distincta; aut typhi gravioris cum mitiore comparati, sunt explicanda. Ad idiosyncrisian scilicet sunt referenda, statum atmosphaerae ignotum, et similia.

Ut febris, quae hunc morbum comitatur, plerumque est typhodes; missio sanguinis valde nocet. Vesicatoria tamen utilissima reperiuntur, et gargarismi, praesertim astringentes et repellentes.

* Gregorius, Duncanus, Hamiltonus, etc.

Cynanche Trachealis.

Cynanche trachealis saepe multum inflammationis habet, praesertim sub initium morbi. In parte superiore tracheae praecipue collocatur. Membrana tracheae mucosa inflammata et densa evadit. In ejus superficie exsudat lympha concretura, membranam praeter naturam faciens. Multus quoque prave secernitur mucus, et puri quodammodo similis. Partibus imprimis post mortem inspectis, magnae muci quantitates post membranam praeter naturam factam inveniuntur.

Non secus ac cynanche tonsillaris hic morbus a frigore excitatur, maxime autem, humiditate juncta. Parte interna tracheae irritata, eo fluit sanguis, et actio vasorum sanguineorum cietur, e quibus materia exsudat, membranam praeter naturam faciens;

glandularumque mucosarum, e quibus mucus secernitur morbosus.

Ad inflammationem vincendum missio sanguinis et purgatio praecipue valent. Quoniam emetica fere semper desiderantur, a parte cui pressura admoveri potest, sanguis mittatur oportet. Inter purgantia seligenda, calomelas optimum habetur. Hoc utendum est, donec sellae subviridis fuerint caloris, aut speciem spinaceae ostenderint *.

Peripneumonia.

Secretio a folliculis pulmonum mucosis, peripneumonia incipiente, plerumque est exigua; sed, morbo progrediente, abundantior. Si in resolutionem desinat morbus, ex-

* Hoc remedium in Cynanche Tracheali a Dre Rush prius administrabatur. Hoc quoque Dr Hamilton Art. Obst. Prof. in hac Academia utitur. Vid. Treatise on the Management of Children in Early Infancy.

pectoratio materiae albae, flavae, et densae, accedit libera et copiosa. Haec e muco vulgo ita dicto haud prorsus constat, sed e muco et sero sanguineque intermistis, praesertim morbo ad suppurationem properante.

Haec generis pulmonum mucosi conditio, ut in quibusdam morbis jam consideratis, a causis diversis plenitudinem seu sanguinis impetum ad folliculos pulmonum mucosos facientibus pendet. Inde partes turgescunt et inflammantur; glandulisque pressis et renitentibus, mucus, prius parce, deinde large, secernitur. Morbo decedente seu curato, naturalis secretio redit.

Libera sputi exscreatio signum est faustissimum, et promovenda, ut resolutio quam maxime optanda paretur. Ad expectorationem juvandam, medicamenta sunt utenda, quae vasa pulmonum exonerant et relaxant, quae a gutturis et bronchiorum glandulis secretioni favent, quaeque ad superficiem et intestina impellunt.

Phthisis Pulmonalis.

In phthisi pulmonali tubercula diversis pulmonum partibus saepissime reperiuntur. Haec indolentia diu manent, sed a causis variis tandem inflammantur, et inflammatio ad parenchyma pulmonum saepe serpit, forte etiam ad membranam mucosam fistulas animae tegentem, glandulasque mucosas. Certe secretio muci a sano statu multum mutatur, et magnopere corrumpitur. "The expec-
"toration," inquit Dr Stark, "is common-
"ly thick and viscid, of an ash colour, with
"a slight tinge of green, and many air
"bubbles adhering to it. Sometimes it is
"yellowish, and in small round masses;
"now and then, though rarely, it is streak-
"ed with blood *."

Phthisis pulmonalis a tuberculis in hominibus scrophulosae diatheseos saepissime ob-

* Vid. Dr Stark's Works, 4to.

servatur. Natura labis scrophulosae non bene intelligitur; glandulas autem lymphaticas imprimis afficere cernitur. Tubercula pulmonum fere inter omnes creduntur scrophulosa, sed an ita sint, necne, partes vicinas prement et irritabunt. Hinc vasa fortius agent, et sanguis eo plenius dirigetur. Huic accedit, quod, incremento corporis completo, sanguis partibus internis, praesertim pulmonibus, superat, ideoque inflammationem magis est facturus. His ex rebus omnia phaenomena phthiseos tuberculosae saepe generabuntur; et inter alia, vitium secretionis mucosae jam animadversum.

Ad summovendum morbum tam horrendum, quam phthisis pulmonalis, medicamenta parum valent; et nisi morbus curatus fuerit, mucus salutaris frustra expectabitur. Morbo autem incipiente, caute mittere sanguinem, et per vesicatorium perpetuum, aut navigationes, aut equitationem, aut in aëre sicco exercitationem modicam; superficiem versus trahere humores; ad liberandos pul-

mones conferent, illisque perturbationem generis mucosi praecavendam.

Gonorrhoea Virulenta.

Gonorrhoea est muci, non seminis fluxus, ut verbum strictius significat. In virulenta gonorrhoea membrana urethrae mucosa tumet, et inflammatur. Urina cum ardore redditur, et si inflammatio in longum fuerit protracta, dolor excrucians adest, et vix tolerandus.

Haec indicia ab illa materia oriuntur, quae per concubitum impurum communicatur. Hac partes irritante, actio vasorum concitatur. Sanguis eo fluit, inflammatio creatur, et glandulae mucosae mucum per urethram effundunt.

Hunc gratia curandi morbum, materia irritans quam primum submovenda. Hac vi nulla aeque pollent remedia, ac injectiones astringentes; eodemque tempore nulla tam

tuta *. Quo mitiores, eo meliores sunt; et detergant potius quam irritent. Si nimis stimulent, et urethra valde irritetur; inflammatio sequitur pertinax et violenta.

Ratione hunc morbum sanandi, caustico sale alkalino injecto, jamdudum a Doctore Fordyce suggesta, propter connubium quod cum muco init perfectum; sine periculo uti non possumus; quia, adque gradum metuendum, inflammationem urethrae auget. Magnum autem parari potest beneficium a liquoribus minus fortibus injectis †.

His omnibus morbis, et fortasse quibusdam aliis, inflammatione stipatis; genus mucosum haud parum perturbatur. Vasa quibusdam partibus canalium cavorumque e corpore exeuntium, inusitate agunt; et sanguis ad has partes inusitato dirigitur. Membrana mucosa tumefacta et inflammata, et glan-

* Audi Prof. Duncan's Clinical Lectures, 1811.

† Thesaur. Med. Vol. II. Audi etiam Prof. Duncan Praelectiones de Institut. Med.

dulis mucosis compressis et irritatis ; mucus prius parce, deinde large, secernitur ; praesertim si inflammatio in resolutionem desinit ; sin in suppurationem, aliae materies ac mucus prius ejiciuntur, quam bona valetudine fruatur aeger.

CAPUT TERTIUM.

Perturbationem generis mucosi canalium cavorumque his morbis leviter attingimus, quibus hae vicinaeve partes spasmo, aut statu ei appropinquante, afficiuntur ; nimirum, febre intermittente, cynanche tracheali, pertussi, asthmate spasmodico, colica pituitosa, alias spasmodica.

Febris Intermittens.

In stadio frigido cujusque febris intermittentis, totum nonnihil contrahitur corpus.

Alias inter secretiones ea muci diminuitur. Docet visciditas in ore et faucibus, haecque omni cavo viaeque corporis fortasse contingit. Haec a quantitate muci diminutâ oriri potest; quamvis, ut probabile est, qualitas non mutatur.

Haec muci exiguitas in stadio calido quodammodo arcetur, et in illo sudoris prorsus tollitur. Contractione corporis inter sudandum decedente, copia majore in cava omnia viasque, quae exitum habeant externum, effnnditur mucus; eóque hae partes more solito humectantur.

Fieri haud potuit, quin genus mucosum in febre intermittente ita perturbetur. Cum morbo decedet malum. Interea ventriculum purgare decebit, et alvum aperire, si fuerit adstricta, salutarem glandularum actionem in faucibus bronchiisque sustentare, cutemque relaxare,

Cynanche Trachealis.

Cynanche trachealis, ut morbus inflammatione stipatus, jam spectata fuit. Ita initio plerumque se habet, sed postea saepe spasmodicum *. Immo, medici quidam periti aliquando ab initio spasmodicum putant, cumque cadavera eorum hoc morbo morientium inspecta fuerint, interdum nulla signa inflammationis laryngis aut glottidis fuerunt detecta.

Glottis et larynx plane constringuntur, ut respiratio difficilis, vox rauca, et tussis clangosa, optime monstrant. Hinc vasa partium minus libere agunt, et circuitus sanguinis per ea et secretio humorum impediuntur. Mucus praecipue, aut non secernitur, aut si secretus fuerit, non exscreatur.

* Spasmus alias inflammationes comitatur, sed quoniam in Cynanche Tracheali praeeminet, eam in hoc capite selegimus.

Tali rerum statu medicamenta antispasmodica indicantur, et ea quae humores alio revellunt. Vomitio et balneum tepidum unice prosunt; illa, compage corporis convellenda, adque superficiem dirigendo; haec, vi relaxante et roborante; utraque multa vi pollent morbum solvendi, sed potissimum vomitio tempestive mota.

Pertussis.

Pertussis morbus contagiosus judicatur. Tussis sui generis est, actione bronchiarum, tracheae, et faucium convulsiva, inducta; hancque comitatur irritabilitas ventriculi valida, ad vomendum proclivis. Haec fortasse a consensu oritur.

Ab actione glandularum ventriculi aucta, mucus super eum effunditur viscidus; similique actione glandularum bronchiarum, tracheae, et faucium; pituita quoque viscida super ea effusa, arcte adhaerescit, aegreque

expectoratur. Haec viscida pituita tussim convulsivam pariter ac vomitum, partibus quibus adhaeret irritatis, efficere videtur. Tussis et vomitus nisus systematis sunt ad materiam accumulatam et noxiam rejiciendam.

E paroxysmis tussiendi constat morbus. Hebdomades quaedam prius praetereant, quam illi ad acmen perveniant; et totidem sint hebdomades antequam hic decedat. Paroxysmo accedente, aut nullus exscreatur mucus, aut exscreatur tenuis. Paroxysmo progrediente, exscreatio, si nulla, accedit, et, si jam adest, augetur. Ita sublevatur tussis, et, aut copia muci a pulmonibus rejecta, aut rebus in ventriculo contentis; paroxysmus tandem finitur.

Emetica, purgantia, et vesicatoria summi sunt momenti hoc morbo; spasmum resolutura, et humores ad cutem et intestina revulsura. Multa alia medicamenta laudantur, ut stimulantes ad regionem ventriculi applica-

tiones, vapores calidae aquae inhalati, acetas plumbi, solutio albi arsenici, etc.

Asthma Spasmodicum.

Cui parti thoracis spasmus asthmatis contingat, medici non consentiunt; an fibris musculosis tracheae, an diaphragmatis, an pulmonum. Discrepant etiam de causa proxima. Mucum, decursu morbi secretum, Cullenus aliique paroxysmi effectum; Bree causam ejus constantem habet.

Successio paroxysmorum plus minusve diuturnorum morbum constituit. Plerumque horam circiter secundam matutinam paroxysmus accedit; tum, aliquando perstans, decedit. Eodem it reditque modo plures noctes; aeger, durante paroxysmo, difficillime spirat, instansque minatur suffocatio. Tussire conatur, sed nihil exscreatur. Spasmo tamen tandem relaxante, exscreatio muci

fit liberior, et una cum copiosa hujus excretione finitur paroxysmus.

Hic est morbus aerumnosus, tametsi fere non funestus. Multa pericula, gratia sanandi, fuerunt instituta, sed parvo cum successu. Laxantia sine dubio indicantur, et emetica fuerunt admodum utilia. Ad opiata confugerunt aegri, adque fumos a quibusdam plantis narcoticis extricatos, ut nicotiana, cicuta, stramonio. Immo, positura sedendi erecta paroxysmum interdum praevenit.

Colica Pituitosa, alias Spasmodica.

Colica pituitosa est morbus, quo pituita intestinis, praesertim colo, accumulatur. Haec si fuerit copiosa, fibras coli musculosas premit, spasmumque creat, ideoque, id genus doloris, quo haec colicae species stipatur.

Humores, ut probabile est, ad intestina valide diriguntur; cùm relaxatione membra-

nae mucosae et glaudularum earumque vasorum favente; tum torpore ignaviaque partium collectionem muci secreti sollicitantibus.

Hic morbus primo enematis et catharticis mitibus est sanandus, deinde tonicis et astringentibus.

In morbis spasmodicis jam tractatis, aut secretio muci a spasmo impeditur, aut mucus eum efficit, super quas partes secernitur relictus. Illinc, quo magis spasmus decedit, eo liberius secernitur mucus; hinc, muco a parte submoto, spasmus sublevatur.

CAPUT QUARTUM.

Quibusdam in morbis genus mucosum canalium cavorumque perturbatur, his partibus laxis et debilibus factis. Tales inter morbos febrem continuam, catarrhum chronicum, peripneumoniam notham, anorexiam pituito-

sam, gonorrhoeam mucosam, dyspermatismum mucosum, dysuriam mucosam ponamus.

Febris Continua.

In febre continua secretio mucosa per aliquod tempus exigua videtur, et si remissio haud notabilis fuerit, correctio hujus vitii minus erit perfecta. Materia a glandulis mucosis secernenda, diutius justo detineri, et detentus aliquanto vitiari potest.

Provectioribus autem febris continuae stadiis supervenit debilitas, hancque participant membrana mucosa et glandulae aliaeque partes, cum primis viis tracheaque connexae. Haec favet secretioni muci, saepe acerrimi, aut a bronchiis exscreati, aut a ventriculo rejecti. Deorsum transiens, una cum bile vitiata, saepissime hoc morbo secreta; diarrhoeam movet. Hanc copiosam muci secretionem credimus nunquam solvere morbum.

Nequaquam causa ejus habenda, sed revera effectus, quem edit in corpus totum, et praecipue in genus mucosum.

Haec generis mucosi perturbatio, morbo curato, est submovenda. Cathartica et tonica indicantur, auxilia medelae provectiore febris continuae stadio utilissima.

Catarrhus Chronicus.

Catarrhus chronicus in Britannia morbus est vulgatissimus, imprimis apud senes, et hieme praecipue grassatur. Hoc morbo, ut probabile est, membrana mucosa gutturis et pulmonum, ab inflammatione praeeunte, relaxatur; et secernitur mucus, a glandulis in superficiem hiantibus, auctus, et forsan vitiatus.

Sanguis senum centro corporis, quam superficie et extremis, celerius movetur. Praesertim, vasis ad membranam mucosam tracheae aëriarumque pulmonum vesicularum

adeuntibus, res ita sese habet. Cùm majori vasorum rigiditati exteriorum, tùm majori partium internarum laxitati et debilitati debetur. Circuitu centrum versus incitato, partibusque minus resistentibus; secretio muci, vesiculis pulmonum aëriis et trachea, augetur. Hinc mane hae partes muco fere obturantur, et, ut mucus per noctem collectus tollatur, multa requeritur exscreatio.

Juvenes catarrho chronico laborare possunt aeque ac senes. Si vasa cutis constringuntur, et membrana mucosa cavis internis viisque e corpore exeuntibus relaxatur; humor justo amplior illuc mittetur, ideoque mucus major secernetur. Nihilomninus propter juventutem facilius exscreabitur, et, ut verisimile est, morbus erit minus diuturnus.

Ad liberum circuitum superficiei promovendum, vestitus fovens tempestate frigida non omittendus, et aedificia bona valde expetenda; sed haec commoda, utcunque teneant divites, in pauperes non semper cadere possunt. Ut expectoratio juvetur, pi-

lulae scilliticae adhibeantur; pro cathartico, ulla ex salibus neutris; pro corroborante, cibus lautus et concoctu facilis; pro demulcente et sedante, mistura gummi myrrhae, et opiatum.

Peripneumonia Notha.

Peripneumonia notha potius morbus ambiguus est. Medici sagacissimi varietatem catarrhi seu pneumoniae putant. A pneumonia, Culleno judice, tantum differt gradu. Nostra sententia, ad catarrhum chronicum eandem habet rationem, quae pneumonia ad catarrhum acutum.

Tracheae pars inferior praecipua sedes morbi videtur, et cadaveribus eorum qui hoc morbo mortui sunt inspectis, bronchiae plenae albido muco spumoso reperiuntur.

Frigore admoto, homines laxae fibrae, aetate seu intemperantia confecti, aut catarrho saepe vexati; in morbum incidunt.

Halitu per cutem represso, sanguis ad flaccidos tubos bronchiarum urgetur, cellasque pulmonum aërias; his mucus secernitur largus, viscidus, et expectoratu difficilis; pulmones referti muco comprimuntur, et circuitus sanguinis per eos et respiratio impediuntur, compages corporea magnopere debilitatur, et aeger, ad exscreandum non amplius valens, fato succumbit. Interdum autem subito et quasi inopinato suffocatur.

Detractio sanguinis in hoc morbo raro prodest, immo plerumque obest. Vesicatoriis et expectorantibus potissimum creditur curatio. Vinum et opium quoque dantur, pariter ac potus diluentes, et antimonii parvae doses. Paucis verbis, morbus curatur eodem fere modo quo catarrhus.

Anorexia Pituitosa.

In anorexia pituitosa mucus secernitur abunde a glandulis, in ventriculi membranam

mucosam hiantibus. Hinc sequitur sensus ponderis epigastrio, nausea, vomitus, tussis stomachalis, pituitae exscreatio viscidae. Vultum aeger habet pallidum, corpusque macrum. Plerumque male concoquit, et flatu turbatur.

Saepe ad fundamen horum signorum jacet exercitatio parva, regimenque malum. Constans intra domum moratio, et potus calidi stimulantes; paulatim ventriculum relaxant, et debilitant. Hinc in eo congeritur sanguis, et mucus abunde secernitur.

Dieta nutriens et exercitatio modica ad morbum depellendum sunt necessariae. Interea autem ventriculus emetico est purgandus, mitique cathartico intestina. Postea beneficium magnum a cauto tonicorum usu ducetur. Praeparationes cinchonae vel ferri administrentur, et aquae chalybe mistae, et succus ex herbis amaris elicitus, bibantur.

Gonorrhoea Mucosa.

Gonorrhoea mucosa Anglice *gleet* dicitur. Haec secundum Cullenum fluxus est humoris mucosi ex urethra, cum parva aut nulla urinam reddendi difficultate.

A gonorrhoea impura sequitur. Ea specie morbi membrana mucosa urethrae graviter inflammatur, et inde ea laxitas membranae oritur, quae gonorrhoeam mucosam inducit.

Morbus ab injectionibus tonicis et astringentibus medetur. Juvat quodcunque valetudinem vigoremque corporis emendare potest. Malum tamen saepe pertinax est, et, medicina nil obstante, durat per vitam.

Dyspermatismus Mucosus.

Dyspermatismus mucosus secundum Culleni definitionem, in actu venereo emissio

seminis est tarda, impedita, et ad generationem insufficiens.

Emissio seminis hac dyspermatismi specie imperfecta sive impedita, a muco oritur urethram obstruente. An haec urethrae a muco obstructio tenacitati muci ipsius insolitae debeatur, an partium quibus accumulatur ignaviae, nequaquam constat. Casibus variare potest causa diversis, quanquam, verisimile est, membranam mucosam ab inflammatione praeeunte esse relaxatam et debilitatam.

Si causa cognita fuerit, et adhuc agat, tollenda est; urethra detergenda, pigritia partium corrigenda, vires et robur corporis consulenda et promovenda.

Dysuria Mucosa.

Dysuria mucosa, ut nomen significat, difficultas est urinae reddendae. A muco urethra vesica aut ureteribus abundante creatur.

Morbus potius rarus est, sed exempla interdum videnda.

Hic procul dubio ab inflammatione harum partium praeeunte efficitur. Inde membrana mucosa vesicae densatur, induratur sive ulceratur. Hoc statu magna copia muci vel puris cum urina redditur, colore seri communicato. Subinde etiam effluit sanguis.

His casibus accumulatio faecum in recto est praecavenda. Irritatio et dolor partium ab injectionibus emollientibus et parvis opii dosibus tollantur. Si scirrhus suspiciatur, prosit conium maculatum vel hyoscyamus. Remedia roborantia fere suadenda, ut cinchona, modica exercitatio, bonus cibus.

Excretio mucosa interdum in variola confluente videnda, haemorrhois mucosa, et lucorrhoea nabothi Sauvagesii; ex iisdem principiis sunt explanandae, ac morbi hoc capite notati. Hi omnes morbi, perturbationi generis mucosi canalium cavorumque favent, propter laxitatem harum partium, aut debi-

litatem. Haec laxitas aut debilitas ab exhaustione, stimulis admotis, vel inflammatione praeeunte, oriatur.

Haec prima sectio partis secundae jam finitur, et in hac alii morbi, praeter hos dictos, forsan fuissent spectati; sed neque limites hujusmodi opusculo concessi, fuissent passi; neque ad argumentum illustrandum contulissent.

SECTIO SECUNDA.

Haec sectio secunda partis secundae tentaminis nostri perturbationem generis mucosi respicit morbis externis, sive illis quibus rete mucosum, cuticula, pili, ungues, unice patiuntur. Talis perturbationis praemoniti sumus indagationem et amplam esse et difficillimam. Hanc tamen in praesentia prosequi non possumus; ideoque, ad quandam opportunitatem futuram postponimus.

Conclusio.

Fine observationibus nostris de genere mucoso imposita, nobismet ipsis persuadere non possumus, physiologiae minime profuisse, aut ad scientiam medicinae ullum omnino contulisse. Si cui commodo inserviat labor, quem impendimus; eo valet, ut unum in conspectum diversae redigantur partes e quibus genus mucosum componitur, aeque ac morbi quibus perturbatur. In hoc tentamine, imperfecto sane, eas res factas de genere mucoso, aut in sanitate, aut in morbo, colligere conati sumus, quae utilissima sint visa, aut scitu dignissima. Notiones nostrae et illustrationes parum novitatis habeant, et si cum aegris magis familiares fuissemus, aut majores facultates experimenta instituendi, possedissemus; praetiosiores fuissent; sed his commodis deficientibus, multum mutuari coacti sumus, tum a praelectionibus in hac

academia cel. habitis, tum a scriptis quorundam magni nominis philosophorum et medicorum. Testimonia, super quae ratiocinatio superstructa fuit, plerumque ima pagina sunt notata, ut lector per tentamen progrediens persenserit.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.